

& in dubio pro hac presumptione standum sit: ubi verò conjecturæ, & circumstantiæ Matrem, & vitricum ab omni suspitione eximunt (quod judicare ad Judicem pertinet) Matris educationi liberi præ aliis relinquendi sunt, *arg. L. 1. C. ubi pupilli. ibi: Quando autem inter eam, & cognatos, & tutores, super hoc orta fuerit dubitatio, aditus Præses Provincia, inspectâ personarum qualitate, & conjunctione perpenderit, ubi puer educari debeat.*

42 Verum alii apud Sanchez *loc. cit.* volunt, Matrem secundò nubentem absolutè privatam esse jure educandi liberos, ita ut quantumvis honestâ existente matre & vitrico, alibi educandi collocari valeant, per Jura n. 48. allegata. Ad textum ex *L. 1. C. Ubi pupilli. numer. præced.* allegatum respondent, eum esse intelligendum de casu, quo Mater vidua permanet; ita ut si ipsa existente vidua inter eam & tutores, aut consanguineos lis moveatur, ubi nam educati debeant liberi, Judex inspectis circumstantiis pronunciare debeat; potest enim bene contingere, quòd Mater etiam vidua manens privetur jure educandi liberos, *arg. L. 1. junc. clâ Glosâ. Ex conditione, & l. Si discip. petur. 5. ff. Ubi pupilli.* Quæ sententia inspecto Jure sæpe valde probabilis apparet eamque tenent in *cit. Novell. 117. cap. 7. Non venit.* Ancharanus *Consil. 216. Menochius de Arbit. Jud. Centur. 2. casu 168. n. 10.* Verùm quia materia hæc ex professio Civilitas concernit, ipsos consule, vide tamen etiam de ipsa Sanchez *loc. cit.*

43 V. Est, quòd mulier secundò nubens perdat privilegia honoris, & immunitatis ratione prioris Matrimonii habita, gaudens in posterum solis privilegiis ratione posterioris Matrimonii sibi competentibus, *l. Filii §. 1. ff. ad Municip.*

44 Plures alias poenas vide apud Sanchez *lib. 7. Disp. 88.*

45 Resp. II. Non tantum infamia, sed etiam reliquæ poenæ in odium secundarum Nuptiarum contra secundò nubentes sublatae sunt, Jutque Civile correctum est à Jure Canonico. Prima pars de poena infamiae est unanimes textu expresso *c. 4. & fin. h. 1. ibi: Cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab ejus lege sit soluta, & nubendi, cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem: non debet Legalis infamiae sibi nere jacturam, quæ licet post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni spatium) nubat, concessâ tamen sibi ab Apostolo usitur potestate, cum in his præsertim seculares Leges non dedignentur SS. Canones imitari.*

46 Alteram partem de reliquis poenis nu. 36. recensitis docent Sanchez *lib. 7. Disp. 87. n. 23.* vocans sententiam verissimam, Innocentius in *c. fin. h. 1. num. un. & ibi Ioan. Andreas n. 5. Abbas num. 3. Ancharanus nu. 9. Pirhing h. 1. n. 8. Bartolus, & Baldus cum communissima aliorum, quos vide apud Sanchez *loc. cit. & Gutierrez loc. cit.* Ratio est; quia, licet *c. ult. & penult. h. 1.* de sola poena infamiae fiat mentio, tamen causa principalis, ne videlicet libertas Ma-*

trimonio à Christo in remedium concupiscentiæ concessa tollatur, etiam in aliis poenis militat; ubi autem eadem ratio est, eadem Legis est dispositio, *arg. l. lib. ff. de Legib.*

Dices *c. ult. & penult. h. 1.* sunt correctoria Juris; 47 ergo ultra expressa non sunt extendenda etiam ob identitatem rationis, *arg. l. Præcipimus. 32. C. de Appellat. & c. Quæ à Jure de Reg. Jur. in 6. cum Concordantiis.* Resp. Hæc Jura limitari in casu, ubi est identitas rationis in Lege expressa, uti in præfenti: item quando aliud exigit favor publicæ utilitatis, vel animæ, prout amplius diximus *Lib. 1. Tit. II. n. 222. & seqq. ubi vide.*

Resp. III. Secundi generis poenæ in favorem scilicet liberorum statuta, & num. 35. recensita, à Jure Canonico nullatenus sunt sublatae, sed adhuc sunt in suo vigore. Gutierrez *de Matrim. cap. 108. nu. 21. Sanchez lib. 7. Disp. 88. nu. 39.* dicens esse communem serè omnium, Innocentius in *c. fin. h. 1. & ibi Hostiensis n. 3. Ioan. Andreas n. 5. Ancharanus n. 9. Covarruvias p. 2. de Sponsalib. cap. 3. §. 9. num. 5. Pirhing h. 1. nu. 9. Engél h. 1. cum communissima aliorum contra Abbatem in *c. Ecclesia. 10. de Constat. n. 15. Felinus, & alios paucos.* Ratio est: Tum quia regulariter correctio Juris est odiosa, & ultra casus expressos non extendenda per Jura *num. præced.* citata. Tum quia illæ poenæ non sunt propriæ poenæ, sed potius beneficia & favores liberis prioris Matrimonii legitimâ potestate concessi, ob quos rationabiliter conquiri non potest pater vel mater, vel dicere, quòd inde tollatur eorum libertas ad nubendum. Tum etiam quia nullus in toto Jure Canonico apparet textus, ex quo colligi possit distarum poenarum abrogatio. Imò ibidem potius fit confirmatio illarum, *arg. c. Ex parte. 67. de Appellat. ubi r. c. omnia amissionis tutelæ in l. Matres, 2. C. Quando mater, constituta, expressè confirmatur.**

49 Queritur III. An licita & valida; consequenter observanda sit conditio, quæ conjux conjugii ita aliquid legat: *Lego tibi hoc, si non amplius nubas.* Resp. Quavis talis conditio habeatur pro non adjecta, si adjiciatur hæredi vel legatario, qui nunquam adhuc nupsit *l. Quoties. 22. l. Cum tale. §. Mævie. ff. de Condit. & demonstr. tamen respectu viduæ licita & valida, consequenter observanda est, ita ut, si Legatum habere velit, cautionem præstare debeat legatarius, quòd illud una cum fructibus iterum restituere velit, casu, quo ad alias Nuptias transeat, Sanchez *lib. 7. Disp. 91.* plurimos alios citans, textu expresso *Novell. 22. cap. 43. & seqq.* ubi etiam correctum est Jus Civile antiquum. *L. 2. C. de indicta viduit.* vi cujus hujusmodi conditio habetur pro non adjecta. Neque correctâ videtur illa *Novell. 22.* à Jure Canonico præsertim, cum in potestate viri positum sit legare aliquid uxori, vel non; consequenter etiam sub conditione ceteroquin honesta, & per quam non demitur nubendi libertas, sed tantum sub conditione, si licro & favore aliâ indebito frui velit.*

APPENDIX  
AD LIBRUM QUARTUM  
DECRETALIU M,  
CONTINENS  
Brevem, Sufficientem tamen, & Claram Theoriam, ac Praxin  
DE  
DISPENSATIONE  
SUPER  
IMPEDIMENTIS MATRIMONII  
ET  
PETENDI DEBITUM,  
Item  
DE REVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDE  
CONTRACTI.



# PRÆFATIO AD LECTOREM.



Experientia constat, dispensationis materiam, quamvis sepius recurat, tamen passim varia generare dubia, anxietates, difficultates, superfluas & inutiles expensas, ex eo, quod non pauci, etiam ceteroquin docti, ex defectu notitiæ, praxis, ac styli in materia Dispensationis Matrimonialis miseris impedimento aliquo implicatis male consulant, aliis dicendo non superesse Dispensationis remedium, ubi facillime dispensari potest, aliis procuracionem Dispensationis suadendo, ubi dispensari non potest, aut non solet, alios dirigendo Romam, quos Episcopus jurare possit, alios mittendo ad Penitentiarium, in casu, quo ad Datariam, vel aliud Tribunal

pro Dispensatione in Foro externo deputatum recurrere oportet. Fium præterea Supplicationes ita informes, ut falsum narrantes, vel necessaria omittentes, gratiam non nisi sub- & obreptitiè obtineant, vel magnis cum expensis impetrent, quæ in forma pauperum, vel aliâ viâ nullis, vel paucis habere potuissent. Hinc necessarium & utile duximus, brevem aliquam, sufficientem tamen Theoriam, & Praxin ita simpliciter & clarè proponere, ut etiam minus experti in Jure, & praxi (pro his enim, non pro Doctoribus hanc Appendicem annectimus) eam facilliter capere, indigentibus utiliter consulere, consulendoque eosdem jurare valeant.

## S. I.

De Potestate dispensandi super Impedimenti Matrimonii competente Papa, Nunciis Apostolicis, Episcopis, Capitulo sede vacante, & Vicariis Generalibus.

### SUMMARIUM.

- 1 Papa potest super quovis Impedimento impediende dispensare,
- 2 Etiam ex Sponsalibus, vel Voto proveniente.
- 3 Potest etiam dispensare super Impedimentis, Jure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus.
- 4 Enarrantur hæc Impedimenta.
- 5 Dispensat in illis validè, sed non licitè sine causa.
- 6 Nequit Papa dispensare super Impedimentis Jure Divino dirimentibus.
- 7 Recensentur hæc Impedimenta.
- 8 Qualem potestatem dispensandi super Impedimentis habeant Nuncii Apostolici? Et num. seq.
- 10 Episcopus potest pro utroque Foro dispensare super impediende Impedimento sacraTi Temporis, & vetiti,
- 11 Item super Votis non reservatis.
- 12 Minimè verò in reservatis.
- 13 Nisi in casu urgentis necessitatis.
- 14 Regulariter loquendo, nequit Episcopus dispensare super Impedimentis etiam solo Jure Ecclesiastico dirimentibus.
- 15 Benè tamen in casu magna & urgentis necessita-

- 16 Solvitur Objectio.
- 17 Urgente necessitate dispensat Episcopus in lege Ecclesiastica.
- 18 Consuetudo tribuit jurisdictionem.
- 19 In nullo casu potest Episcopus pro Foro externo dispensare super Impedimentis dirimentibus.
- 20 Episcopis concedi solent speciales facultates dispensandi etiam pro Foro externo super certis Impedimentis dirimentibus.
- 21 Enarrantur talia impedimenta.
- 22 Si dispensant pro Foro externo, debent aliqua necessariò observare. Et quæ? Privilegia, seu speciales facultates Episcopis concedi solita. Ioid.
- 23 Debent Dispensationem in scriptis expedire, & ibidem quædam necessariò exprimere.
- 24 Secus quando pro Foro interno dispensant.
- 25 Super Impedimento Consanguinitatis, & Affinitatis vi specialis facultatis dispensant Episcopi cum solis pauperibus, super reliquis Impedimentis etiam cum aliis.
- 26 Pauperum nomine qui veniant? Remissivè.
- 27 Quid importet, esse in tertio, & quarto, simpliciter, aut mixto? Et qualiter circa hos gradus intelligenda sit dispensandi facultas Episcopis specialiter concessa? remissivè.
- 28 Forma Dispensationis Episcopalis pro Foro externo.
- 29 Episcopus etiam vi Privilegii dispensare non potest sine causa.
- 30 Quæ causæ pro Foro externo sufficiant?
- 31 Qui petit Dispensationem debet allegare causam, & Episcopus eam examinare.
- 32 Capitulum Sede vacante dispensat pro Foro conscientibus, concurrentibus certis conditionibus.

- 33 Non item super quibus Episcopus dispensat ex speciali privilegio.
- 34 Vicarius Generalis Episcopi sine speciali mandato nequit dispensare super Impedimentis Matrimonii occultis in Foro interno, super quibus potest Episcopus jure Ordinario.
- 35 Multò minus super iis, super quibus Episcopus ex privilegio dispensat in Foro externo.
- 36 Episcopus potest Vicario Generali communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio pro utroque Foro.
- 37 Et quam habet Jure Ordinario pro Foro interno.
- 38 Solvitur Objectio.
- 39 Confirmatur universalis consuetudine.
- 40 Non sufficit generale mandatum ad hoc, ut Vicarius Generalis dispensare valeat super Impedimentis Matrimonii.
- 41 Sed requiritur generale: Et quomodo?
- 42 Observatio practica: Ibi.

Queritur I. An, & in quibus Impedimentis Matrimonii dispensare valeat Papa? Ante responsionem supponitur ex dictis, Impedimenta alia esse impedienda, alia dirimentia, alia Jure Divino, alia Jure duntaxat Ecclesiastico dirimere Matrimonium. Hoc supposito, Resp. I. Potest Papa pro utroque Foro in cunctis impediendis duntaxat impedimentis dispensare. Unanimis & certa. Et quidem quòd in Tempore sacraTo, & in vetito, seu in hoc dispensare valeat, ut Matrimonium Tempore sacro, v. g. Quadragesimæ, vel specialiter interdicto, & prohibito contrahatur, patet: Tum quia ejusdem est solvere, & ligare. Tum quia tanquam supremus Legislator potest in quovis Jure Ecclesiastico dispensare, arg. c. Propositi. de Concess. Præbend. ubi de sua potestate loquens ait: Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possimus supra Jus dispensare.

De Sponsalibus satis patet ex dictis Lib. IV. Tit. I. de Sponsalib. & Matrimon. docetque cum communi Sanchez de Matrimon. lib. 1. Disp. 61. nu. 2. Bosco de Matrim. Disp. 2. Sect. 15. nu. 229. Quamvis Sponsalia solvi potius, quam dispensari dicantur: ut benè advertit Bosco. De Voto autem ex dictis Lib. III. Tit. XXXIV. de Voto, & Voti Redempt. ubi ostenditur, & magis adhuc ex Theologia supponitur, posse Papam in cunctis Votis dispensare, & dicitur adhuc magis ad propositum num. 6. Interea notandum quòd ad dispensandum in Impedimento Voti, & Sponsalium Pontifex necessariò habere debet justam causam; quia ambo impediunt Matrimonium Jure Divino, in quo nec validè, nec licitè dispensare potest Papa, juxta dicenda infra num. 6. Et de Sponsalibus specialiter etiam notat Bosco loc. cit. num. 229. Imò, ut benè ibid. num. 226. cum aliis advertit, Sponsalia non tam dispensari, quam dissolvi. Ceterum ea qua causa, quomodo, & in quibus votis dispensare possit & soleat, habetur infra cit. §. 3. a. numer. 121.

Resp. II. Potest etiam Papa super Impedimentis Jure duntaxat Ecclesiastico dirimentibus dispensare. Rursus unanimis ac certa, arg. cit. cap. Propositi. 4. de Concess. Præbend. patetque ex dictis Lib. I. Tit. II. §. XVII. ubi proximus habetur, quòd Papa valeat in omni Jure Ecclesiastico dispensare.

Inferitur, quòd, cum Jure duntaxat Ecclesiastico dirimant frequentia Impedimenta videlicet, Primò, Cognatio spiritualis, juxta dicta Tit. XI. n. 4. Secundò, Cognatio Legalis, juxta dicta Tit. XII. Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

Tertiò, Cognatio carnalis, seu Consanguinitas & Affinitas excepta lineâ rectâ, & primo gradu lineæ transverse in Consanguinitate, & gradu primo lineæ rectæ in Affinitate, ex copula licita, juxta dicta Tit. XIV. Quarto, Votum solemnè Religiosæ Professionis, juxta dicta Tit. VI. Quintò, Quidò, eodem. Tit. Sextò Crimen, juxta dicta Tit. VII. Septimò, Calumniæ diffamitas, Tit. I. Octavo, Publica honestas, juxta dicta Tit. IV. Nonò, Claustralitas juxta dicta Tit. III. Decimò, Raptus Tit. I. In iis omnibus dispensare possit Papa. Quando autem, & ex quibus causis super iisdem dispensare soleant, dicitur infra §. III. per totum.

Resp. III. Potest Papa super Impedimentis solo Jure Ecclesiastico impediendis dispensare, etsi nulla adit dispensandi causa; quamvis peccet, si absque justa causa dispolet. Patet Conclusio ex dictis Lib. I. Tit. II. §. XVIII. num. 478. ubi amplius dictum, & probatum est, validam quidem, sed illicitam esse Dispensationem, quâ Legillator in propria, vel Antecessoris lege, sine justa causa dispensat.

Resp. IV. Nequit Papa dispensare in Impedimentis Jure naturali, vel Divino dirimentibus Matrimonium. Denud committis & certa. Ratio est; quia Inferior (qualis respectu Dei etiam Papa est) nequit tollere, vel relaxare legem Superioris, nisi concessam ad hoc ab eo habeat potestatem, arg. Clem. Ne Romani, de Elect. Nullibi autem, nec ex SS. Paginis, nec ex SS. Canonibus, nec ex traditione vel usu Ecclesiæ, nec aliunde constat, Papæ concessam esse à Deo potestatem dispensandi in Impedimentis Jure naturali aut Divino dirimentibus, prout cum aliis benè observat Glossa in c. Litteras. v. Dispensare de Restitut. Sponsal. & ibi Abbas n. 4. Hoffensis n. 3. item Sanchez lib. 8. Disp. 6. num. 10. Navarros in Manual. cap. 22. num. 84. Bosco de Matrim. Disp. 12. Sect. 3. Conclus. I. ubi etiam more suo egregiè demonstrat, quòd non sit necessarium, nec expediat, ut Pontifici concedatur facultas dispensandi in Impedimentis Jure naturali dirimentibus.

Hinc, quia Impedimentum Jure naturali, ac Divino dirimens est: primò Error, juxta dicta Tit. I. à nu. 343. Secundo Conditio juxta dicta Tit. IX. n. 3. Tertiò Vis, Tit. I. Quarto Ligamen Tit. XXI. Quintò Impotentia juxta dicta Tit. XV. Consanguinitas in lineâ rectâ in infinitum, & primo gradu lineæ transverse; nec non Affinitas in primo gradu lineæ rectæ, juxta dicta Tit. XIV. in iis dispensare Papa non valet.

Queritur II. An, & in quibus Impedimentis dispensare valeant Nuncii Apostolici? Resp. I. Illos imprimis, quantum ad propositum, gaudere omni eâ potestate, quam Jure Ordinario habent Episcopi; quia reputantur Ordinarii Judices suæ Provinciæ textu expresse c. 2. de Offic. Legat. in 6. Quæ autem potestas competat quoad propositum Ordinariis, dicitur infra num. 10. & seqq.

Resp. II. Præter allegatam potestatem consueverunt Pontifices dictis Illustrissimis Dominis Nunciis Apostolicis concedere specialem facultatem, dispensandi gratis cum quibuscunque personis intra suæ Legationis limites existentibus, quæ quarto aut etiam tertio & quarto etiam multiplicibus Consanguinitatis, & Affinitatis gradibus conjunctæ, seu se attinentes scienter, vel ignoranter conjunctæ sunt, vel aliis se, non tamen sub specie facilitis habendæ Dispensationis à Sede Apostolica, carnaliter cognoverunt, nec non cum aliis quibuscunque similibus gradibus conjunctis, vel se attinentibus, qui propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias, vel ob detem minar competentem, aut alias rationabiles cau-

causis Matrimonium invicem contrahere voluerint. Hæc siquidem sunt verba formalia Brevis dati ab Innocentio X. alicui Nuntio Apostolico, præmissa tamen clausula indicante, hujusmodi potestatem Nuncio non competere respectu omnium, sed solum respectu eorum qui ob paupertatem, & itinervis incommoditatem ad Romanam Curiam pro Dispensatione accedere, vel mitere non possunt.

10. Queritur III. An? In quibus Impedimentis? quando? & quomodo dispensare valeant Episcopi? Resp. I. Episcopi pro utroque Foro iusta ex causa dispensare valent in duobus Impedimentis Jure Ecclesiastico dumtaxat impedimentibus videlicet, *facto Tempore, & vetito*; nisi Papa aliquod Matrimonium specialiter vetet. Communis & certa. Fundamentum, & ratio conclusionis est universalis consuetudo, quæ optima legum interpret, c. 8. de Consuetud. atque Derogat etiam legi humanae, c. fin. eod. Et ceteris deficientibus tribuit jurisdictionem, c. Duo simul. de Offic. Ordinari. juncto c. Cum contingat. de Foro competent. & amplius dictum est Lib. I. Tit. II. num. 471.

11. Resp. II. Potest insuper ex iusta causa dispensare super impediendo Impedimento voti cujusque, Papæ non reservati, v. g. Castitatis ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel pœnale: item Voti non nubendi, vel Ordines suscipiendi &c. Rursus Communis & certa, Patetque Conclusio ex dictis Lib. III. Tit. XXXIV. de Voto à num. 27.

12. Resp. III. Nequit tamen Episcopus dispensare super Impedimento perfecti Voti servandi perpetuum Castitatem, vel ingrediendi Religionem. De quibus non potest dispensare in illa habet Episcopus, teste etiam experientia, quæ constat, quòd pro Dispensatione horum votorum ubique scribatur Roman.

13. Limitatur tamen Conclusio in casu urgentis necessitatis pro Foro interno; sicut & in his casibus, in quibus hæc vota non sunt reservata. De quibus, sicut & de tota Conclusione vide Lib. III. Tit. XXXIV. à numer. 27. ne fiat inutilis repetitio.

14. Resp. IV. Regulariter loquendo, de Jure communi non potest Episcopus in ullo Impedimento dirimente dispensare. Communis & certa. Ratio clara est; quia omnia Impedimenta Jure Ecclesiastico dirimentia, Decreto Summi Pontificis, aut Concilii alicujus Generalis introducta sunt; in hoc autem tanquam Superioris Decreto vel lege nequit Episcopus utpote inferior dispensare; cum juxta unanimem nequeat Inferior dispensare in lege Superioris, arg. c. Cum inferior. de Majorit. & Obedi. & cit. Clem. Ne Romani 2. de Elec. ibi: *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest*: ergò.

15. Resp. V. Quamvis juxta præcedentem Conclusionem non ordinariè, & regulariter, tamen extraordinariè, seu in causa magna & urgentis necessitatis pro Foro conscientie super præfatis Jure Ecclesiastico dirimentibus Impedimentis etiam secluso omni privilegio dispensare potest pro conscientie Foro; si sequentes simul concurrant conditiones, videlicet, I. Si Impedimento est occultum. II. Si adeit gravis causa, seu necessitas. III. Si necessitas sit urgens, ita, ut non patiat dilationem, donec Dispensatio Româ à Pontifice, vel Nuntio veniat. IV. Si Matrimonium bonâ fide jam fuit contractum, & quidem in facie Ecclesiæ, ac pœmissis Denuntiationibus, quamvis in casu valde extraordinario, & urgentissimæ necessitatis etiam ante Matrimonium contractum dispensare valeat; supposito, quòd etiam præcedentes conditio-

nes concurrant, juxta dicenda infra §. III. n. 63. De quibus Conditionibus singulis singula instituemus Quæstia seq. §. per totum. Cæterum Conclusioni adherent Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 40. per totum. Bosco de Matrim. Disp. 12. scil. 13. Conclus. 3. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 35. Gutierrez 99. Canon lib. 1. cap. 23. Engel. de Matrim. contract. contra Interdictum Eccl. sic. Cum Comuni, & propemodum certa aliorum, contra Sotum, & paucissimos alios arg. c. 2. de Observant. Jejun. & c. Quod non est, de Reg. J. in 6. ibi: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*. Ratio est; quia id requirere videtur pastorale Officium Episcopi, ut possit animabus concedere gravi necessitate in hujusmodi casibus extraordinariis subvenire; cum alias Oves subjectæ essent destitutæ necessariis mediis, & expositæ manerent gravissimis periculis scandalorum, peccatorum, diffamationum &c. Quod suavi gubernationi Ecclesiæ repugnat, utpote, quæ potestatem suam non in destructionem, sed in ædificationem animarum gerit, juxta illud 2. Corinth. 10. *Nam estis amplius aliquid gloriosius sacro de potestate nostra, quam dedis nobis Dominus in adificationem, & non in destructionem vestram*.

Dices: Nullo Jure invenitur expressè concessa Episcopis potestas dispensandi in præfatis extraordinariis casibus: ergo. Resp. Esti non expressè, tamen tacitè concessa censetur dicta potestas à Summo Pontifice, hoc ipso, quòd sciat, Episcopos illà passim uti, & non contradicant, arg. c. Qui tacet. de Reg. Jur. in 6. Nec dicas, Papam id non scire, imò non posse scire, eò quòd Episcopi memoratâ potestate tantum pro conscientie Foro, consequenter non nisi in secreto uti possint, ac debeant, juxta ipsam Conclusionem nostram. Resp. enim cum Bosco n. 122. & seqq. Verum quidem esse, Sedem Romanam ex facto & praxi Episcoporum id scire non posse, scire tamen ex libris, & innumeris quasi Authoribus, passim liberè, ac apertè adscribentibus Episcopis dictam dispensandi potestatem à Papa ob bonum commune tacitè concessam. Quorum doctrinam, si erroneam reputaret, faciliter uti plures alias, damnare posset, ac etiam deberet, eò quòd agatur de valore Sacramenti, & ex multis rationibus sit maximi momenti, ut consideranti patet.

Confirmatur: Quandoquæque urget necessitas, potest Episcopus in casu particulari saltem pro Foro conscientie dispensare contra SS. Canones, imò & contra Concilium Generale, juxta dicta Lib. I. Tit. II. de Constit. §. 18. n. 470. ergo.

Accedit ad propositum longæva Episcoporum consuetudo, quæ contra legem Ecclesiasticam præscribit, arg. c. fin. de Consuetud. ac etiam jurisdictionem tribuit, c. Duo simul de Offic. Ordinari. & c. Cum contingat 13. de Foro competent. prout amplius dictum Lib. I. Tit. II. num. 471. Estque optima legum interpret, L. 37. ff. de Legib. Hac faciunt etiam ea, quæ de Episcopali potestate dispensandi ob urgentem necessitatem in SS. Canonibus prolixè habentur cit. Lib. I. Tit. II. de Constit. §. XVIII. num. 63.

Dicitur autem notanter in Conclusione numer. 15. positâ: *Pro Foro conscientie*; siquidem pro Foro externo in prioribus nullo casu dispensare potest Episcopus super aliquo Impedimento dirimente; nisi speciale habeat privilegium à Papa concessum, prout tanquam certum docent, vel potius supponunt Fagnanus cit. c. Nimis. de Filiis Presbyt. n. 37. Bosco loc. cit. Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 40. n. 10. Henriquez lib. 12. de Matrim. cap. 3. n. 2. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. Allegat. 35. ac alii. arg. Concil. Trid. Sess. 24. de Reformat. cap. 6. ubi ferè simi-

Facultates

Concessæ à S. D. N. D. Innocentio Divinâ Providentiâ Papa XII. Reverendissimo D. D. Joanni Francisco Episcopo Frisingensi.

1. Absolvendi ab Hæresi, & Apostasia à fide, & Schismate quæcumque etiam Ecclesiasticos tam sæculares, quam Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi sanctum Officium exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint: nec illos, qui judicialiter objuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur hæreses, & post judicialem abjuracionem illuc reversi in hæresin fuerint relapsi, & hos in Foro conscientie tantum.

2. Tenendi, & legendi libros prohibitos hæreticorum ad effectum eos impugnandi, & alios quomodolibet prohibitos, præter Opera Caroli Malinei, Nicolai Machiavelii, & libros de Astrologia Judicialia principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes, ita tamen, ut libri ex illis Provinciis non esserantur.

3. Dispensandi in 3. & 4. simplicibus, & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis ex uno stipite, in contractis verò cum hæreticis conversis, etiam in 2. simplicibus, & mixtis, dummodo nullo modo attingat primum gradum, & in his casibus prolem sitam declarandi legitimam.

4. Dispensandi super impedimento publicæ Honestatis Justitiæ ex Sponsalibus proveniente.

5. Dispensandi super impedimento Criminis, neutro tamen conjugum machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum.

6. Dispensandi in impedimento Cognationis spiritualis, præter levantem, & levantem.

7. Hæc vero dispensationes Matrimoniales videlicet 3. & 5. & 6. (intellige numero) non concedantur, nisi cum Clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, & in dispensationibus hujusmodi declaratur expressè, illas concedi tanquam à Sedis Apostolicæ Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inferatur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, aliàs nullæ sint.

8. Dispensandi in Irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientes, exceptâ eâ, quæ ex homicidio voluntario contrahitur.

9. Dispensandi, & commutandi Vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis Castitatis, & Religionis.

10. Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam in Bolla Cane, in locis tamen, ubi impune grassantur hæreses.

11. Delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta, & alia utensilia ad Missæ Sacrosanctum necessaria, ubi non intervenit S. Unctio; & reconciliandi Ecclesias pollutas aquâ ab Episcopo benedicâ, & in casu necessitatis, etiam aquâ non benedicâ ab Episcopo.

12. Conserendi Ordines extra tempora, & non servatis Interstitiis usque ad Sacerdotium inclusive.

13. Dispensandi super defectu ætatis unius anni ob Operatoriorum penuriam, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alius idonei fuerint.

14. Consecrandi Olea cum quinque saltem Sacerdotibus, non tamen extra diem Cane Domini; nisi necessitas aliud urgeat.

15. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen, ut in prima Missa non sumptibus ablutionem per unam horam ante Auroram, & aliam post Meridie sine Ministro sub die, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquiis Sanctorum.

similiter pro solo interno, non autem pro externo Foro concedit Episcopis potestatem dispensandi in Irregularitatibus occultis. Patet etiam ex ipso ipsius poenitentiarie, utpote quæ non nisi in casibus occultis pro conscientie Foro dispensat, suasque Dispensationes pro illo solo, non item pro externo Foro valere ipsamet declarat. Ratio est. Tum quia impedimento jam existente publico vix fingi potest tantæ necessitatis casus, ut non merito expectetur Dispensatio Româ. Tum quia si super publico Impedimento dispensare prælumeret Episcopus, non tam evitaret, quàm generaret scandalum, unde nec aliqua viget consuetudo tribuens Episcopis jurisdictionem dispensandi pro Foro externo, sicut pro interno, juxta dicta num. præced.

20. Queritur IV. An, & quales Episcopi habeant speciales facultates seu quasi privilegia dispensandi super Impedimentis dirimentibus? Resp. I. Quamvis hæc quæstio sit facti; cum privilegia hujusmodi merè dependant ex libera voluntate Pontificis concedentis, qui illa dare & auferre, augere & minuere, juri plurâ & majora, alii minorâ concedere potest, consequenter certa, & universalis responsio pro omnibus dari nequeat. Nihilominus scire omnino juvat, quòd Summus Pontifex omnibus ab Urbe Romanâ longè distantibus, & in specie Germaniæ Episcopis præter alia privilegia, etiam specialem concedere solet facultatem dispensandi pro utroque Foro, in nonnullis dirimentibus Matrimonii Impedimentis, ita tamen, ut de quadriennio in quadriennium renovari, & Episcopi pro ea sollicitari, ac hoc ipso fatari debeant, hujusmodi facultatem sibi non de Jure communi, sed ex mera gratiâ, & speciali privilegio Pontificio competere.

21. Porrò specialia privilegia, & facultates dispensandi super Impedimentis dirimentibus Episcopis Germaniæ concedi solent sequentes. Videlicet

I. Dispensandi in tertio, & quarto tam Consanguinitatis, quàm Affinitatis gradu simplicibus & mixto, tantum cum pauperibus in contrahendis Matrimoniiis in contractis verò cum hæreticis conversis etiam in secundo simplicibus & mixto; dummodo nullo modo attingat primum gradum; & in his casibus prolem suscepiam declarandi legitimam.

II. Dispensandi super Impedimento publicæ Honestatis, ex Sponsalibus proveniente.

III. Dispensandi super Impedimento Criminis, neutro tamen conjugum machinante, & restituendi jus petendi debitum amissum.

IV. Dispensandi in Impedimento Cognationis spiritualis; præter levantem, & levantem in Baptismo.

22. Resp. II. Ad hoc, ut Episcopi vi prælatorum privilegiorum, seu facultatum in aliquo ex memoratis Impedimento valide dispensare possint, omnino observare debent Clausulam, quam Papa men-oratis dispensandi privilegiis adhibere solet illis verbis: *Hæc verò Matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi cum Clausula; dummodo mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat; & in dispensationibus hujusmodi declaratur expressè, illas concedi tanquam à Sedis Apostolicæ Delegato. Ad quem effectum, etiam tenor ejusdem facultatum inferatur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ; aliàs nullæ sint*. Ita enim expressè mandare solet Pontifex, prout patet ex tenore Facultatum specialium, & quasi privilegiorum; quæ Summus Pontifex concedere consuevit Reverendissimis & Cellissimis Episcopis Frisingensibus, & Ratisbonensibus, cujus Copiam (quam si nescimus credimus illi, quæ datur aliis Germaniæ Episcopis) hic etiam propterea anneximus: quia multum juvat scire, an Romam confugere debeamus, an verò apud Episcopum auxilium habere possimus.

clorum, & presentibus hereticis, Schismaticis, Infidelibus, & Excommunicatis, & aliter celebrari non possit. Caveat verò, ne prædicta facultate, seu dispensatione celebrandi bis aliter, quam ex gravissimis causis, & rarissimè utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quòd si hanc eandem facultatem alteri Sacerdoti juxta potestatem inferius opponendum communicare, aut causas eà utendi alicui, qui à Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serid ipsius conscientia injungitur, ut paucis duntaxat iis, quàm maturioris prudentie ac zeli, qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas interit, & ad breve tempus eandem communicet, aut respective causas opprobet.

16 Deservendi Sanctissimum Sacramentum occultè ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab Hereticis, aut Infidelibus sit periculum Sacrilègi, &

17 Induendi se vestibus secularibus, si aliter vel

transire ad loca eorum cura commissà, vel in eis permanere non poterunt.

18 Recitandi Rosarium, vel alias preces, si Breviarium secum de-ferre non poterunt, vel Divinum Officium ob aliquod impedimentum recitare non valeant.

19 Dispensandi, quando exire videbitur super usu carniùm, ovorum, & lactiniarum tempore jejuniorum, & præsertim Quadagesimæ.

20 Communicandi has facultates in totum, vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, Sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus, & præsertim tempore sui obitùs, ut Sede vacante sit, qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta (quod quamprimum fieri debet per Delegatos, aut per unum ex eis) alio modo provideat.

21 Et prædictæ facultates gratis, & sine ullà mercede exercentur, & ad quadriennium tantum concessæ intelligantur.

22 Utendi eisdem facultatibus in Civitate, & Diocesis Frisingensi tantum.

Ferià quintà die 14 Junii A. 1696.

In Congregatione Generali S. Romane, & Universalis Inquisitionis habità in Palatio Apostolico ad S. Mariam Majorem coram Sanctissimo Domino Nostro, Domino Innocentio XII. ac Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sede Apostolica specialiter deputatis.

Archiepiscopus Ostiensis Cardinalis Cbro. Josephus Bartolus Romane, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Ferià quartà die 24 Martii 1706. hæc Facultates, ut antè ad aliud Quinquennium renovatæ sunt. Joseph. Bartolus S. R. E. & Universalis Inquisitionis Notarius.

- 23 Inferitur proin, non sufficere, si oretendū tantum dispensare Episcopus, sed necesse est, ut in scriptis expediat, scriptæque Dispensationi inferatur. I. Potestas, seu facultas delegata. II. Tenor hujus facultatis. III. Tempus quousque se extendat hæc facultas, aliàs enim Dispensatio non tantum illicita, sed etiam invalida foret, juxta Clausulæ verba: aliàs nulle sint. Forma dispensationis hujusmodi habetur infra num. 23.
- 24 Hoc tamen intellige, si pro Foro externo vi quasi privilegiorum aut specialium facultatum præfatarum dispensat; si enim pro Foro solo interno ex facultate sibi tacite concessa seu jure ordinario juxta dicta a. num. 10. dispensat, id minime requiritur, sed omnino sufficit Dispensatio etiam oretendū facta, & indigent per Confessarium, vel aliam infirmata.

25 Notandum etiam, quòd super Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis in præfatis gradibus cum solis pauperibus, super reliquis autem Impedimentis, videlicet publicæ Honestatis, Criminis, & Cognationis spiritualis, etiam cum aliis dispensare valeat. Patet ex ipso tenore Facultatum, ut pote quæ

pro Dispensatione super gradibus Consanguinitatis, & Affinitatis pro solis pauperibus: super aliis autem Impedimentis universaliter datæ sunt, & consequenter ita intelligenda veniunt: tum quia privilegia tantum valent, quantum sonant, arg. c. Recepius. de Privileg. Tum quia Verba generalia generaliter sunt intelligenda c. quia circa. de Privileg. præsertim in materia favorabili; qualis est facultas dispensandi juxta dicenda infra num. seq.

Quæritur V. Quid importet esse in tertio & quarto gradu simplici & mixto? Item quæritur circa hoc intelligi debeat specialiter concessa Episcopi Germaniæ facultas dispensandi cum pauperibus juxta copiam numer. 22. allegatam? Præsertim an possint vi illius etiam dispensare in tertio gradu, quando est conjunctus cum secundo, seu in secundo & tertio? Resp. Ad hoc quæsitum patebit infra.

Ceterum Dispensatio vi privilegiorum pro Foro externo Episcopo in scriptis concedenda, sequenti, vel simili modo fieri, & expediri potest: v. g. Si quis in tertio Consanguinitatis simplici, vel mixto dispensari velit.

## Titulus.

28 **U**niversis, & singulis presentes visuris, lecturis, & audituris notum facimus; quòd cum N. & N. humillimè Nobis supplicaverint, ut cum eis in tertio Consanguinitatis gradu, quo conjuncti existunt, in ordine ad contrahendum Matrimonium dispensare clementissimè dignaremur: Nos verò speciali facultate Anno, die Mensis &c. concessà ad quadriennium durante munici existamus, dispensandi in tertio & quarto, simplici, & mixto, tantum cum pauperibus in contrahendis Matrimoniis, vi delegatæ Nobis potestatis Apostolicæ allegatæ, cum memoratis N. & N. utpote pauperibus, ex causa nobis satis cognita & probata, in Domino dispensamus, & dispensatum declaramus, dummodò Mulier non fuerit rapta, vel si rapta fuerit, in raptoris potestate non existat, servatis in reliquo servandis de Jure, in quorum fidem &c. Datum &c.

Resp.

29 Resp. III. Ut Dispensatio Episcopi vi privilegii seu facultatis specialiter concessæ valeat, necessariò etiam requiritur justa causa, adeò ut sine hac dispensans non tantum graviter peccet, sed etiam invalidè agat, & Dispensatio in utroque Foro sit nulla. Conclusio caret controversiâ, patet ex illa universali doctrinâ supra jam Lib. I. Tit. I. §. 18. à numer. 478. trahitâ, videlicet quòd Dispensatio in lege superioris invalida sit, si fiat absque justa causa, per rationes, & Jura ibidem citata.

30 Quænam autem censantur, & sint justæ causæ sufficientes ad dispensandum in Foro externo, habes infra §. III. num. 69. per totum: quævis enim illis sufficit, quòd vi specialis facultatis dispensare valeat pro Foro externo: Nec requiritur magna & urgens necessitas, nec aliæ conditiones, quæ aliàs requiruntur, ut seculo privilegio dispensare valeat pro solo Foro interno super Impedimento occulto per dicenda §. seq.

31 Inferitur, illos, qui Dispensationem petunt, debere habere, & exprimere aliquam saltem ex adducendis cit. num. 69. causis, Episcopum verò non solum sua attendere, vel aspicere debere privilegia, quibus gaudet, sed etiam examinare causam, & de ejus existentia se informare, antequàm Dispensationem concedat.

32 Quæritur V. An etiam, & qualiter super Impedimentis Matrimonii Jure Ecclesiastico dirimentibus dispensare valeat Capitulum Sede vacante? & Vicarius Capitalaris? Resp. I. Sicut Episcopus, ita etiam Capitulum Sede vacante, & hujus Vicarius Generalis validè & licitè dispensant in memoratis Impedimentis, si concurrant requisita numer. 15. allegata, & §. seq. magis declaranda. Gobath in Tract. 9. Theolog. experiment. nu. 585. Ratio est, quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt Jurisdictionis Ordinariæ (demptis solis casibus in Jure specialiter exceptis) potestque in specie dispensare in omnibus casibus, in quibus Jure Ordinario potest Episcopus, prout latè dictum est, & probatum habetur Lib. III. Tit. IX. Ne Sede vacante. §. 2. à numer. 5. & §. 3. à numer. 49. Atqui in casibus numer. 15. expressis potest Episcopus Jure Ordinario dispensare pro Foro conscientie; cum hæc potestas ei competat ratione Officii sui Pastoralis, ita ut statim, ac sit Episcopus, hoc ipso tacitè saltem concessam, & quidem perpetuò duraturam habeat præfatum dispensandi in Foro interno facultatem, nec hæc facultas in Jure specialiter excepta invenitur; ergo.

33 Resp. II. In illis Impedimentis, in quibus juxta dicta à numer. 20. Episcopus dispensat ex quasi privilegio (vocamus quasi tale, quia propriè privilegium non est; cum istud juxta dicenda infra, ex natura sua debeat esse perpetuum, quale non est facultas Episcopi Germaniæ concessa, utpote tantum ad certos annos durans) vel speciali facultate sibi generaliter concessa, nullo modo dispensare potest Capitulum Sede vacante, nec ejus Vicarius Capitalaris. Communis, ac quasi certa Ratio est, quia Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in iis, quæ Episcopo ex facultate, aut privilegio speciali competebant; prout amplius declaratum & probatum habetur cit. Lib. III. Tit. IX. §. 3. à numer. 42.

34 Quæritur VI. An, quando, & quomodo Vicarius Generalis Episcopi dispensare valeat super Impedimentis Jure Ecclesiastico dirimentibus? Resp. I. Vicarius Generalis Episcopi vi Officii sui non potest dispensare super Impedimentis dirimentibus in casibus supra numer. 15. allegatis nisi speciale ad

id habeat mandatum ab Episcopo. Sanchez lib. 2. Disp. 40. num. 12. Bosco de Matrim. Disp. 12. sect. 13. Conclus. 3. num. 189. Gutierrez lib. 1. Canon. 99. cap. 19. n. 15. Barbosa de Offic. & potest. Episcopi. alleg. 54. n. 12. post Glossam communiter receptam in can. Que de causa, cau. 2. q. 5. v. Quidquid, ubi ita argumentatur: Cum enim Dispensatio se habeat in statum restitutionis in integrum, & restitutio in integrum non delegatur per mandatum generale, arg. l. Illud. ff. de Min. ergo nec dispensatio. Ratio ulterior est; quòd casus extraordinarii non comprehendantur in generali mandato. Confirmatur à simili in Dispensatione pro Foro interno in Suspensionibus, & Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quæ Dispensatio vi Officii non competit Vicario Generali sine speciali mandato, prout ex Concilio Trident. Sess. 24. cap. 6. de Reform. diximus Lib. I. Tit. XXV. de Officio Vicarii num. 87.

Resp. II. Pariter nequit Vicarius Generalis vi Officii sui sine speciali mandato dispensare pro Foro externo super Impedimentis, super quibus juxta dicta num. 22. Episcopus dispensare potest ex quasi privilegio, vel speciali facultate concessa. Unanimis, ac certa Ratio est; quia controversiâ caret, Vicarium Generalem vi Officii sui non posse ea, quæ potest Episcopus ex solo privilegio, aut facultate specialiter concessa: Cum enim in his neque Capitulum Sede vacante, nec ejus Vicarius Capitalaris succedat Episcopo per dicta superius numer. 32. multo minus in illis aliquid poterit Vicarius Generalis Episcopi, eò quòd potestas Vicarii Capitalaris longè major & amplior sit, quàm Vicarii Generalis Episcopi, juxta dicta Lib. III. Tit. IX. Ne Sede vacante. §. 3. num. 69.

Resp. III. Potest tamen Episcopus suo Vicario Generali, imò & aliis Sacerdotibus idoneis delegare suam potestatem dispensandi super Impedimentis Matrimonii non tantum illam, quam habet ex quasi privilegio & speciali facultate, juxta dicta supra num. 22. sed etiam illam, quam pro Foro conscientie habet in casibus urgentis necessitatis juxta dicta numer. 15. Prima Conclusio pars de potestate competente ex speciali facultate aperte constat ex ipsa forma seu tenore privilegiorum, nam ibi expressè apponi solet clausula: Communicandi hæc facultates in totum, vel in partem &c. uti patet ex Copia numer. 22. adducta.

Secunda pars de facultate dispensandi in casu urgentis necessitatis docetur à Sanchez cit. lib. 2. Disp. 40. numer. 14. cum communis aliorum, quorum plurimos citat Sanch. loc. cit. post Gloss. in c. fin. de Offic. Ordin. v. Casibus. Ratio est; quia ea, quæ Episcopo vi Officii, & potestatis Ordinariæ ac perpetuò competunt, delegare potest alteri juxta dicta supra Lib. I. Tit. XIX. §. III. textu claro, c. Cum Episcopus. 7. de Offic. & potest. Delegat. in 6. Atqui potestas dispensandi super Impedimentis dirimentibus vi Officii pastoralis jureque Ordinario ac perpetuo competit Episcopo per dicta à numer. 15. ergo.

Nec obstat c. fin. de Offic. Delegat. ibi: Nulli, 38 cui commissum fuerit excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare &c. liceat hæc alteri demandare, quia non sibi Jurisdictionis, sed certum ministerium potius committitur in hac parte. Resp. enim, hanc Jurisdictionem intelligi debere de casu, quo personæ nudum committitur ministerium; uti patet ex ultimis textus verbis; non ita quando potestis & jurisdictionis concessa & annexa habetur ipsi Officio, & cum isto ad quem.

quemvis successorem transit; prout res se habet in casu nostro.

39 Confirmatur secunda pars Conclusionis (præsertim quoad Vicarios Generales) universali praxi & consuetudine, quæ constat, omnes ferè Episcopos saltem illos, qui amplas Dioceses habent (uti in Germania) delegare Vicariis Generalibus etiam illam dispensandi potestatem, quæ super Impedimentis dirimentibus in casu urgentis necessitatis pro Foro conscientie dispensare valent; consuetudo autem est optima legum interpret c. Cum dilectus. de Consuetud. ac etiam in defectu omnium aliorum tribuit jurisdictionem c. Duo simul. de Offic. Ordinari. & c. Cum contingat. de Foro competent. ergo.

40 Queritur VII. Qualiter Episcopus facultatem dispensandi super impedimentis Matrimonii Vicario Generali delegare, vel concedere possit, aut debeat ad hoc, ut ea hic securè uti possit? Resp. Quamvis al qui D. Flores (inter quos videtur esse Gobath in Theolog. Experiment. Tract. 9. nu. 585.) putent sufficere, si Episcopus in genere ei committat omnem suam potestatem, dicendo, v. g. Do, vel concedo Tibi omnem potestatem, & jurisdictionem, quam ego habeo: vel saltem si dicat: Do tibi omnem meam potestatem etiam ad ea, quæ speciale mandatum requirunt, tamen Garcias, Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 54. n. 59. Engel de Officio Vicarii. n. 10. eoque teste alii communiter docent, hunc modum non sufficere, aut certè non satis securum esse, eò quòd talis delegatio, aut concessio censetur nisi generalis arg. c. Quid agendum. 4. de Procurat. in 6. adeoque adhuc subintret Reg. 81. Jur. in 6. In generali concessione &c. prout etiam diximus Lib. I. Tit. XXVIII. de Officio Vicarii. §. 4. num. 89. Et certè non foret contentus Episcopus, si Vicarius Generalis ipso infcio conferret alicui pinguem Parochiam, vel Beneficium, est præsertim ei omnem suam delegasset potestatem, illo pluribus quidem solito, minus tamen recto delegandi modo: Do Tibi omnem meam potestatem etiam ad illa, quæ speciale mandatum requirunt: quod evidens signum est, vi talis clausulæ generalis, Episcopi Vicarium Generalem non posse omnia, quæ requirunt mandatum speciale.

41 Volunt proin, & meritò præfati Doctores, Episcopum, qui vult tribuere Vicario suo Generali omnem suam potestatem, debere saltem aliqua exprimere, quæ requirunt speciale mandatum, additâ dein clausulâ, & omni alia: quod, ubi Episcopi alij in Jure forsân minus experti non faciunt, ipsi Vicarii Generales urgere, & monere deberent: idque ad vitanda plura nullitatis pericula, & quidem specialiter circa Dispensationem Impedimentorum; utpote ex qua semper dependet valor Sacramenti Matrimonii, adeò, ut, à parte rei nullum foret, consequenter contrahentes in continuis formationibus saltem materialibus, & gratis Sacramentalibus ad sustinenda Matrimonii onera summè necessarii desitit existerent, casu quo hujusmodi concessio generalis num. 39. allegata, jurisdictionem Vicario Generali non tribueret, prout supra citati DD. volunt. Ad quæ evitanda, & legitimam delegandi formam adhibendam, cum nulla difficultas interveniat, nec labor, nec expensæ requirantur, utique Episcopi, vel Vicarii Generales muneris suo non deerunt: Quid enim facilis Episcopo, quam pro Dispensatione Matrimoniali v. g. sequenti, vel simili delegationis formâ uti? Concedo Tibi etiam dispensandi pro Foro interno super impedimentis Matrimonii in casibus urgentis necessitatis omnem potestatem, quam ego habeo: item etiam pro Foro externo in dictis impedimentis dispensandi

eandem potestatem, quam ego ex privi legio & speciali facultate à Papa habeo: item communico tibi etiam reliquas facultates à Papa mihi specialiter concessas. Item, quid facilis Vicario Generali, si Episcopus id non observaret, quam illum monere, vel interrogare: Reverendissime & Celsissime Domine. est. ne suæ Celsitudinis intento mihi etiam dare facultatem dispensandi super Impedimentis Matrimonii, quæ Celsitudini jure Ordinario, & ex privilegio competit? &c. Hæc, Amice Lector, non sine cautâ dicta sunt.

§. II.

De Conditionibus requisitis ad hoc; ut Episcopus, secluso privilegio, dispensare valeat pro Foro interno super Impedimentis occultis, Jure Ecclesiastico Matrimonium dirimentibus.

S U M M A R I U M

- 42 Status Questionis proponitur.
- 43 Ut Episcopus secluso privilegio dispensare valeat, requiritur I. Ut Impedimentum sit occultum.
- 44 Quando dicitur occultum?
- 45 Quod quinque tantum sciunt, occultum est, Ibid.
- 46 Nisi sit periculum publicationis.
- 47 Unde debet attendi quibusnam personis, & quot illorum notum sit Impedimentum.
- 48 II. Requiritur gravis causa, seu magna necessitas.
- 49 Nec sufficit quevis causa aliâ ad dispensandum in Foro externo sufficiens.
- 50 III. Requiritur urgens necessitas, ita ut ratione illius non possit haberi, vel expectari Dispensatio Româ.
- 51 Vel ab alio Specialem facultatem dispensandi habente.
- 52 Præsentia paupertas ordinariè non facit, quò minus facilis patet aditus Romam, vel ad alium facultate præditum: Et quare?
- 53 Pro Dispensatione quoad Forum internum nulla requiruntur expensæ: Et num. præced.
- 54 Causæ urgentes quales esse censentur?
- 55 Inter illas in specie est periculum incontinentiæ.
- 56 Quod quidem ordinariè, non tamen semper adest. Et num. præced. ac seq.
- 57 IV. Requiritur, ut Matrimonium (si jam contractum est) sit contractum bonâ fide.
- 58 Quando dicitur malâ fide contractum?
- 59 Non sufficit mala fides unius.
- 60 Requiritur insuper, ut præmissæ sint Denuntiationes.
- 61 Nisi dispensatum fuerit super istis.
- 62 In valdè extraordinario casu potest Episcopus super occulto impedimento ante Matrimonium dispensare.
- 63 Narratur talis casus.
- 64 Id etiam procedit in Voto.
- 65 Episcopus concorrentibus Conditionibus requisitis potest super quovis Impedimento occulto dispensare, super quo potest, & solum Papa dispensare.
- 66 Hæc Conditiones non requiruntur, quando vi privilegii dispensat.

Uti ex terminis Rubricæ patet, non loquimur hic de potestate dispensandi, quæ competit Episcopo vi privilegiorum pro Foro etiam externo juxta dicta num. 22. sed de ea, quam habet pro solo Foro interno urgente necessitate in casibus & impedimentis occultis juxta dicta num. 15. ubi certas ad eam conditiones requiri diximus. Pro quarum

rum majori cognitione specialis ponitur §. præfens. Itaque

43 Queritur I. An, & qualiter Impedimentum debeat esse occultum? Resp. I. Omnino requiritur, ut Impedimentum sit occultum. Fagnanus in c. Nimis de Filiis Presbyt. nu. 33. Bosco de Matrim. Disp. 12. sect. 13. n. 137. & seqq. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 24. de Reform. cap. 6. Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 40. n. 3. cum Communi & certa aliorum. Ratio est; quia idè potissimum dispensare valet Episcopus, ut evitetur publicum scandalum ex separatione secutorum, eò quòd v. g. jam proles sit concepta, aut unum conjugum solus sciat impedimentum, illudque absque famæ jacturâ detegere nequeat; vel si alter etiam sciat impedimentum, tamen probare nequit &c. arg. à simili in Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 6. Hæc autem ratio cessaret, si impedimentum esset publicum; inò potius esset scandalum, si Impedimento existente publico conjuges simul manerent; cum auctoritate publica facile separari possent, & deberent, ut bene observat Fagnanus loc. cit.

44 Resp. II. Impedimentum tunc censetur occultum, quando vel omnino secretum existit, ita ut nullâ ratione probare valeat; vel si quidem scitur ab uno vel alio, aut tribus vel quatuor, nullum tamen periculum est, quòd ulterius publicetur. Sanchez lib. 2. de Matrim. Disp. 40. nu. 11. Bosco de Matrim. Disp. 12. sect. 13. n. 138. Barbosa ubi supra nu. 11. Henriquez lib. 12. cap. 10. nu. 1. & 2. & alii. Ratio est; quia illud de Jure adhuc censetur occultum, quòd pluribus, quam quinque nondum est notum in aliqua Vicinia, Collegio, vel Parochia, cujus communitas decem saltem homines in se continet. Nam, ut ait Glossa communiter recepta in c. Manifesta. cau. 2. q. 1. Occultum dicitur, quòd quinque sciunt, & §. Non sunt hæc. de Penitent. dist. 1. v. Secreta. eadem Glossa probat. secreta esse, quæ sunt in præsentia quinque, prout etiam innotat, Lib. V. Tit. I. magis demonstratur.

45 Additur tamen in Conclusionè, & nullum periculum est, quòd ulterius publicetur; hoc enim ubi rationabiliter timetur, jam Episcopus dispensare nequit; etiam si præter impedimento laborantem, unus tantum, vel duo scirent; quia quocumque rationabilem adest periculum, quòd Impedimentum evadat publicum, etiam periculum est, quòd Matrimonium occultâ Dispensatione validè contractum, majori cum scandalo iterum separari debeat; cum Dispensatio pro Foro interno ab Episcopo facta, in Foro externo prorsus non attendatur, eaque non obstante Matrimonium ab ipso etiam dispensante Episcopo separari deberet. casu quo Impedimentum evaderet publicum: Bosco, Sanchez, & Barbosa loc. cit.

46 Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum quot personis, sed etiam qualibus Impedimentum sit notum, quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum, & timentium Deum, qui Impedimentum nòrant, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, & contra respectu duorum vel trium, v. g. garulorum, aut inimicorum &c. divulgationis periculum reverâ adeste videatur, præsertim, si etiam alie circumstantie tale periculum minentur.

47 Queritur II. An, & qualiter requiratur gravis, seu magna necessitas? Resp. Omnino necessaria est gravis causa, seu magna necessitas, qualis esse censetur: si conjuges absque scandalo, vel sine jactura famæ, vel præjudicio proli, aut gravi incontinentiæ periculo separari amplius nequeant; prout plerumque non possunt, si Impedimentum provenit ex copula for-

nicaria prius cum consanguinea coniugis habita; vel si jam adsum una vel plures proles; vel si invicem ita sint inamorati, ut vel separari profusus nolint, aut separati ne reditu ad vomitum non manerent; vel si Matrimonium in facie Ecclesiæ fuit contractum, & impedimentum ita occultum, ut probari nequeat, consequenter separari, vel ad alias nuptias transire non permittantur &c. Bosco De Matrim. Disp. 12. num. 13. Henriquez lib. 12. de Matrim. Diana p. 11. tr. 8. Resolut. 7. Gobath in Theolog. Experiment. tr. 9. n. 578. cum Communi aliorum. Ratio est; quia sicut concurrente unâ ex dictis necessitatis causis potestas dispensandi censetur tacitè concessa Episcopo, exigente id munere Episcopali, juxta dicta numer. 15. sic cessante necessitate eadem potestas censetur Episcopo adempta, utpote, qui, contra SS. Canones dispensare non potest sine magna necessitate vel evidenti utilitate Ecclesiæ; ut fusc ostendit Fagnanus in c. Nimis de Filiis Presbyt. arg. can. Esi illa cau. 1. q. 7. ibi: Quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas: cum Concordant. Imò Episcopi præ cæteris ad observantiam SS. Canonum tenentur, qui propterea etiam vocantur Custodes Canonum & Magistris, can. Cum quibus. 36. cau. 24. q. 3.

Inferitur proin, ad hoc, ut Episcopus pro Foro conscientie dispensare in Impedimento dirimente valeat, prorsus non sufficere causam quandam rationabilem talem, ex qua juxta dicta §. seq. Papa, vel etiam Episcopus vi privilegii dispensare potest, & solet pro Foro externo, sed omnino requiri causam gravem, seu magnam necessitatem.

Queritur III. An, & qualiter requiratur urgens necessitas? Resp. Ut dispensare valeat Episcopus pro Foro interno, non sufficit sola magna necessitas, nisi etiam sit urgens, ita, ut ratione illius nullus, vel difficillimus recurfus ad Papam, aut alium privilegio dispensandi præditum, v. g. Nuncium Apostolicum pateat; vel periculum sit in mora, Sanchez de Matrim. cit. lib. 2. Disp. 40. n. 2. & 6. Bosco loc. cit. n. 141. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 35. n. 3. cum communi aliorum. Ratio est; quia quando adest quidem una ex dictis n. 47. gravis causa, vel necessitas, si tamen pro tempore non urget, sed bene patitur moram, donec à Pontifice Dispensatio veniat, simulque pateat facilis aditus ad Pontificem saltem per litteras, nulla adest causa, vel necessitas, quòd dispenset Episcopus, consequenter cessat ratio, ob quam ei competit potestas dispensandi; ut bene observat cum aliis Bosco loc. cit.

Idem videtur, quando est facilis recurfus ad Nuncium Apostolicum, vel alium præditum speciali privilegio aut potestate dispensandi in causa Impedimenti. Vega lib. 6. sum. casu 143. Barbosa de Offic. & potest. Episc. Allegat. 35. nu. 10. Navarrus in Manual. cap. 22. nu. 85. Perez, Tambor. Gobath in Theolog. Experiment. tr. 9. nu. 581. & alii communiter contra Henriquez lib. 12. de Matrim. cap. 3. n. 1. Ratio est eadem, quæ in priori num. quia reverâ in tali casu nulla est necessitas, quòd Episcopus dispense. Hinc licet Barbosa, & Diana vocent sententiam Henriquez probabilem; tamen quia agitur de Sacramenti valore, qui à Dispensatione, hæc verò à facultate dependet, in praxi non videtur lecura, postquam Innocentius XI. damnavit sententiam: esse licitum sequi probabilem, reliquâ tutori, quando agitur de valore Sacramenti.

Cæterum notandum hic cum Averfa add. Bosco Disp. 12. Concl. 3. n. 143. quòd, licet DD. communiter causam urgentem adeste dicant, quando conjux impedimentum patiens, non inopiam seu paupertatem ad Papam, vel Nuncium Apostolicum confugere,